

IO. MATHÆI MAGNI
De præſenti Pariſienſis Academiæ rerum ſtatu Oratio.

Ad doctiſſimum & prudentiſſimum virum CLAVDIVM ALTITECTIVM *in Senatu Pariſienſi cauſarum patronum.*



Ex Typographia, Dionyſij à Prato, via Amygdalina, ad Veritatis inſigne.

1588.

HVMANISSIMO ET doctiſſimo Viro D. CLAVDIO DV HAVLTOY In Senatu Pariſienſi cauſarum patrono Io. MATHÆVS MAGNVS S. P. D.



VTHORITAS *tua, & beneuolentia erga me, vir Clariſſime, hanc mihi è manibus orationem excutiunt. Etſi enim ſatis magnum fructum collegiſſe mihi videbar ex eorum approbatione, qui ſuo concurſu & frequentia concionem noſtram honeſtarant: & non eram neſcius, deteriorem conditionē eſſe orationis cum legentium moroſitati ſubijceretur, quàm cùm audientium benignitati committeretur: tamen cùm tu, vt hanc emitterem, & pro authoritate ſuaderes, & pro beneuolentia rogares, authoritati repugnare non potui, beneuolentiæ negare non debui. Itaque te rogo, vt quod beneuolentia impetrauit, id be-*

neuolo animo accipias : quod authoritas expreßit, id contra flagrantes inuidiæ morsus eadem authoritate tueare. Sic & ipse ex hoc meo officio duo consequar : vt & minore cum periculo hominum iudicia subiisse videar : & tuam in me pietatem, quam maximam, & pulcherrimã hæreditatem parens meus D. Magnus mihi reliquit, saltẽ hoc obseruantiæ meæ pignore coluiße. Bene Vale. Ex nostro Cœnomano. Idib. Octob. an. 1588.

AD IO. MATHAEVM MAGNVM
EPIGRAMMA.

Inuida cũ MAGNVM *subtraxit Parca, Lepores*
Dicendi cunctos collachrymasse ferunt.
At MAGNI *solamen habẽt, Academia postquã*
*Te fouet amplexu (*MAGNE *diserte) suo.*
Sic Phœnix vno moriente renascitur alter :
Sic ruptis MAGNI *natus es exuuiis.*
Eloquio MAGNVS *meruit sic ille vocari,*
Tu dignus dici MAXIMVS *eloquio.*

NICOLAVS YVELIN.



JO. MATHÆI MAGNI De præſenti Pariſienſis Academiæ rerum ſtatu Oratio.



ELLEM Deus Opt. Max. feciſſet (Auditores) vt eo loco ſita eſſet ſcholaſticæ rei ratio, vt hoc tempore huiuſce argumenti tractandi occaſionem non haberem: ac noſtris fortunis nobis potius gratulari liceret, quàm de temporum, vel potius hominum noſtrorum iniquitate cõqueri eſſet neceſſe. Sic enim fieret,

vt & mihi de Academiæ ornamentis dicenti latior pateret ad dicendũ campus, & vobis fortaſſe hæc noſtra oratio iucundior eſſet, qui illius laudi, & amplitudini animis, voluntatibúſque fauetis. Quòd ſi Reſpublica literaria etiam in poſterum eidẽ ſorti obnoxia, et eodem fato perpetuò vſura videretur, tacerem equidẽ, nec arbitrarer oratorem in eo argumenti genere debere verſari, quod ſtudioſorum animis, neque ex præſenti rerum ſtatu gaudium, neque ex meliorum ſpe ſolatium, ſed ex præteritæ conditionis recordatione, & perpetuo ærumnarum curſu faſtidium adferret. Sed quemadmodum nautæ in medio mari, denſiſſimis, tenebris, incerto, aut nullo ſydere, cæco voluente fluctu aliquãdiu periclitantes, tunc demùm recreari incipiunt, & animos periculi magni-

tudine demissos ad spem recuperandæ salutis erigere, si sibi Castoris & Pollucis benignum sydus oriri cœperit: Sic nobis in hac Reip. literariæ naui iamdiu communium temporum malis, tanquam sæuientibus procellis agitatis, cùm iam propemodum discussis cæcæ caliginis tenebris, quæ his annis sese literarum splendori offuderat, nouus melioris spei fulgor, & futuræ fœlicitatis radius affulgeat, existimaui fore, vt in hac nostra oratione plus futurorũ spes ad delectationem, quàm præteritorum recordatio ad animorum acerbitatem valeret. Itaque cum in hac quantulacunque adhuc tenuem spiritum ducentis Academiæ celebritate docti, & industrij viri pro sua quisque parte publicis exercitationibus & suæ in communem literarũ causam voluntatis testimonium, &

induſtriæ ac facultatis exemplū exhiberent: ego pro mea tenui,& infirma parte libenter feci, vt eā prouinciam mihi depoſcerem, quæ verè ſtudioſorum animis & voluptatis aliquid, & vtilitatis adferret. Quid enim vtilius contingere poſſe arbitramur iis, quorum omnis induſtria vitæ,& vigilādi labor in hiſce ſtudiis expromitur, quàm intelligere, ſe non iam amplius, vt antea, ad ſpē nullam certam certum quotannis laboris, ſtudii, rei familiaris impendium facere: ſed ſibi decurſo hoc virtutis, & induſtriæ ſtadio ampliſſima eſſe honoris, & dignitatis præmia propoſita? Quid porrò iucundius, quàm mecum ſimul recognoſcere, vnde his ſuperioribus annis Academiæ vaſtitas, ac propemodum literarū calamitas nata ſit: & vnde nunc noſtris animis ſpes melioris ſortis,& proſperioris

ſperioris curſus oboriatur? Atqui id mihi propoſitum eſt (auditores) pro hodiernæ declamationis penſo, vt & præſentis, & inſtantis temporis cõtentione facta, nimium torpentes ad ſtudia iuuentutis animos excitarem: vt, quantum in me eſſet, præteriti temporis vulnera ſanarem: vt ad bene de omni republ. literaria ſperandum quaſi ſignum aliquod efferrem: vt oſtenderem, quî factum ſit, vt hæc Academia patrũ, & maiorũ noſtrorum temporibus florentiſſima, ita ſenſim imminuta ſit, vt hac fatali temporũ calamitate retineat propemodum veſtigium nullũ priſtinæ dignitatis: quibus cõiectu-ris adductus ſperem nunc illã multis calamitatibus perfunctam ad ſpem priſtinæ dignitatis recuperandæ reuiuiſcere? Atque vt intelligatis ex quanta amplitudine, & dignitate

ſors noſtra deciderit, vos qui aliquantò ætate prouectiores eſtis, proſpicite quæſo animis ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordamini vltimam, inde vſque repetentes effigiem noſtræ Academiæ, quæ tum fuerit, animo & cogitatione luſtrate. Nimirum ſic ego reputo, multos eſſe ex vobis, qui memoria teneāt, bonis illis temporibus, cùm pax ciuilis in Gallia vigebat, cũ omnia virtute & doctrina, nõ prauis, & inhoneſtis artibus obtinebātur, ita numeroſum Muſarũ exercitũ in hac vrbe fuiſſe, vt & regio ſatellitio formidoloſus eſſet, ac propemodum toti vrbi grauis haberetur. Interſum nonnunquã maiorum natu ſermonibus, qui de illa vetere Academia, quæ tum fuit, cùm multa magnificè, & ſplendidè dixerunt, vſque eò ſuis ſermonibus efferri non

dubitãt: vt militaris ætatis ſtudioſorum iuuenũ nõ minus quàm viginti millia in hac vrbe dicant fuiſſe. Cùm omnia collegiorum cœnacula, omnes cellulæ ita erant refertæ, vt præ locorum anguſtiis de lacunari cubilia funibus demitterentur. ita omnia auditoria ſtudioſorũ concurſu celebrabantur, vt vndique circumfluentem multitudinem collegiorum anguſtiæ capere non poſſent. Iure igitur tunc temporis florebat Academiæ dignitas; verè tum apud exteras nationes tãquam celeberrimus totius orbis Parnaſſus habebatur: Iure tũ habuit Strebæos illos, Turnebos, Carpẽtarios, Ramos: quibus tũ pro ſua doctrina celebritas, pro dignitate honos, pro beneficij qualitate gratia, pro labore fructus, pro ſemente meſſis contingere ſolebat. Qui ſi nunc fractis naturæ

legibus in hanc lucẽ reuiuiſcerent, ô Dij immortales, quid dicerent! en campos vbi Troia fuit! Certè enim in media Academiæ celebritate Academiã ipſam requirerent: deinde verò ſuæ fœlicitati gratulantes, quorum ætatem fortuna in illa tempora collocaſſet, de nobis ſuis poſteris has flebiles emitterent voces,

Grandia ſæpe quibus mandauimus hordea ſulcis,
Infœlix lolium, & ſteriles naſcuntur auenæ,
Pro molli viola, pro purpureo Narciſſo
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Nec verò illa tanta dignitas ſubitò vno repentino impetu ad tantam deuenit calamitatem: ſed vt in cæteris mortalium rebus fieri ſolet, quæ nunquam in eodem ſtatu perma-

nent, ſed cùm ab exiguis principiis ortæ ſẽſim creuerint, & multis progreſſionibus factis ad ſuæ perfectionis faſtigium peruenerint, eodem modo, iiſdẽ veluti gradibus ſenſim decreſcunt, & tandem ad nihilum prolabũtur: ſic nos hanc reip. literariæ potentiã, longa temporum ſucceſſione auctã, & ad ſummæ dignitatis faſtigiũ euectam, Carolo regnante iam paulatim minuebamus, poſtea verò ab hinc nouẽ, aut decẽ annis iam propemodum penitus amiſimus. Cuius quidem fatalis ſortis, & calamitatis nõ ſolæ ſunt illæ cauſæ, quæ fortaſſe vulgò eſſe putantur Auditores: Sæuiente peſte Muſarũ exercitum diſſipatum fuiſſe: Illud publicum vulnus annis ſubſequentibus ſubinde recruduiſſe: ab illo improbo, & diuturno malo vixdum recreatos famem excepiſſe: poſt cõ-

tinuata malorum ſerie periculoſiſſimum ciuile diſſidium ingruiſſe: his tot, tantíſque malis rempublicam literariam agitantibus, priſtinæ fortunæ ſplendorem retineri non potuiſſe. Quæ omnia etiamſi grauiſſima ſint, non ſunt tamen eiuſmodi, vt iis prorſus Academiæ ſolitudo & vaſtitas accepta referri debeat. illa etenim mala non priuata, ac propria rei literariæ, ſed publica, & cõmunia omnium ordinum fuerũt. Nec tamen reliquas Reip. Gallicæ partes quamuis grauiter affectas, ita fractas ac debilitatas videmus, vt adhuc ſuis neruis, ac viribus, & ſuo robore ſubſiſtere non poſſint. Peſtis quidẽ fuit diuturnũ malum, ſed nõ ita ſęuum, vt muſarũ exercitum tandiu à ſuis ſignis alienũ habere debuerit: famis magnũ, ſed non diuturnũ: belli repentinum, ſed ſubitò extin-

ctum. Nec verò id quod modò sum dicturus, satis habet momenti, vt nostræ Academiæ vastitatem inferre videatur. iuuentutem hoc tempore in propriis sedibus optimis artibus, & disciplinis informari: in singulis vrbibus artium professores opimis stipendiis, & honestis conditionibus haberi: totam Galliam Iesuitarum coloniis esse distinctam: ita vt ad bonarum artium, & disciplinarum mercaturam, longinquã peregrinationẽ suscipere, aut sumptibus grauari, aut labore fatigari, aut denique à charissimo parentũ amplexu diuelli minimè necesse sit. Sunt ista quidem omnia aliquid, atque adeò multum: sed nequaquã tamen in iis sunt omnia. Quando enim hoc non fuit, etiam tum, cùm in Gallia Iesuitarum nomen esset ignotum, vt non in singulis vrbibus

artium magiſtri, & iuuẽtutis docto-res publicis ſtipendiis alerentur? vt iuuentus optimis moribus, & diſci-plinis non imbueretur? nec tamen eam ob cauſam hanc Academiam minor ſtudioſorũ iuuenum concur-ſus, & frequẽtia celebrabat. Imò ve-rò ſic fieri ſolere accepimus, vt qua in vrbe præceptores ſint doctrina, & probitate ad omnem humanitatis partem inſtructiores, ex ea plures huic Academiæ ſingulis annis par-tus naſcantur. Quorum animis cũ bonis præceptis, & bonis exemplis virtutis, & doctrinæ concitata fue-rint deſideria, niſi ex hiſce limpidi-ſſimis fontibus illam ſuam honeſti-ſſimæ cupiditatis ſitim nunquam explere ſe poſſe arbitrantur. Nec ve-rò ſi Ieſuitana ſocietas ſuum nomẽ per totam Galliam longè, latéque ad docendi gloriam propagauit, id-

circo

circo illam hominum animis præceptam & à multis seculis pœnitus insitam opinionem potuit, aut poterit vnquã euellere, vnam esse Academiam Parisiensem, quæ semper lectissimis hominũ ingeniis floreat: in qua præ cęteris purè & castè Musarum sacris operetur: ex qua denique, si quid apud alios sit doctrina, & eruditione eximium, tanquam à suo capite, & fonte ductum, & deriuatum esse iudicetur. Vt communi hominum iudicio nemo vnquam satis eruditus esse possit, nisi qui Lutetiæ studuerit, & nemo pariter nõ doctus esse existimetur, qui in suorum studiorum ratione possit tanti nominis prærogatiua, & vrbis authoritate gaudere. Quid igitur dicemus, aut quam causam huic tantæ solitudini, ac propemodum extremo reip. literariæ fato possumus

prætexere? an dicemus Academiam iam ſeneſcentem, & quaſi effœtam, & ſuauiſſimo doctrinæ nectare exhauſtam, ſibi ſubinde renaſcẽtes filios lactare non poſſe, ita vt non iuuentus Academiæ, ſed Academia iuuentuti deeſſe videatur? Sed quid minùs veriſimile eſt, quàm vt in eã, quæ ſingulis annis noua ſobole renaſcitur, ſenium cadat, aut ea, quæ iam etiam parere poteſt, eos quos ex ſeſe peperit, alere non poſſit? Quid porrò de communi parẽte tam malè merita eſt huiuſce noſtri ſeculi ſtudioſa pubes, vt quod antea benignè præbuit, nunc malignè tribuat? vtrùm tandẽ illius vel benignitatem ſuſpectã, vel frugalitatem deſpectã habebimus? ô iniqua parens, ſi quas mammas plenas, atque vberes ſuis prioribus alumnis ſuggendas dedit, eaſdem nunc vobis, adoleſcentes,

quorum non minorem curam gerere debuit, velit exarescere! ô parum frugi materfamilias, si ita suas opes omnes profudit in alios tanquam primigenios filios, vt nihil sibi reliqui faceret, quod vobis miseris, tanquã ignobilioribus fœtibus tribueretur! ô nostri temporis iniqua conditio, si cùm honos, dignitas, omnia denique quæ virtutis præmia esse debebãt, à Musarum alumnis sint abiudicata, etiam hic nobis suauissimus doctrinæ,& eruditionis pastus subtrahitur! Sed neque etiã hac in parte quidquam habetis, adolescentes, quod de vestra sorte, & temporum cõditione queri possitis. nam nec vobis doctissimorum virorum studium deest, nec ipsius Academiæ suas opes omnes liberaliter explicantis, & ad se magna voce vocantis authoritas. Atque vtinam

quantùm illi doctiſſimi viri, qui cõtra ſęuientes communium temporũ procellas fluctuantis, ac propemodum demerſæ nauis literariæ clauum ægerrimè tenent, vtinam inquam, quantùm illi veſtra cauſa & cupiunt, & poſſunt, tantundem illis ex veſtro concurſu, & frequentia celebritatis, ex mutua beneuolentia gratiæ, & charitatis accederet. Certè enim ſi cum illorum virtute, & induſtria à vobis paria omnia fierent, nõ Rami, nõ Turnebi, nõ Carpentarii deeſſent: nihil denique aut vobis ad plenam doctrinæ, & ſciẽtiæ ſatietatem, aut ipſi Academiæ ad ſummam dignitatem requireretur. Sed ſæpe tales emiſimus voces, auditores, ſæpe eiuſmodi inanes querelas à nobis audiuit aer, ſæpe talium votorum noſtrorum facta eſt quantumcunque ſurda conſcia tellus:

Cúmque hoc ipſo tempore omniũ theatra ludis, & ſpectaculis publicis celebrentur: cùm omniũ cathedræ loquãtur: cùm omnes Vniuerſitatis partes doctiſſimis vocibus vndique perſonent: cùm denique omnia muta, & inanima vocib. reſpondeant, tamen ita ſunt homines huiuſce temporis vel inuitis Muſis, vel iratis Gratiis nati, vt tot blãdæ inuitationes vix paucos adoleſcentes ad has Muſarũ epulas ciere poſſint. Eóſque ita faſtidioſos, & delicatos, vt illos copia inopes reddat: qui in magno doctrinæ conuiuio, & apparatu cùm omnia faſtidiosè, carpſerint, vix quidquam quod ſibi aut ad ſtomachum, aut ad palatum faciat, inueniãt: & pro beneficio non modò nulla gratia ſe obligatos teneri, ſed etiam pro aſſectationis officio gratiam pro-

pemodum ſibi deberi arbitrentur. Vndénam igitur illud noſtris hominibus tam inſolens bonarum rerum faſtidiũ? aut quid cauſæ dicere poſſe videbuntur ij, quos fortunæ ſuę amplitudo, & familiæ dignitas ad ſplendorem vitæ, ad honorem, & dignitatem vocat, qua cauſa ſe poſſint vel à ſtultitiæ, vel ab ignauiæ reprehenſione eximere? ſi peſtilentia extincta, fame compreſſa, bello ſedato, Academia doctis hominibus habundante, ſublatis omnibus iis, quæ illos à Muſarum ſacris arcere poterant, tamen vel harum literarum ſplendorem, ac nobilitatem nõ agnoſcũt, quòd eſt ſtultitię, vel cùm agnoſcant contemnunt, ac negligunt, quod eſt vel ſocordiæ, vel ignauiæ? Adeſte verò animis (auditores) adeſte inquam, & huiuſce rei veras cauſas accipite, & Reip.

literariæ vulnera mecum ſimul recognoſcite. Certè enim ſi quis veſtrum antea mirabatur, quæ cauſa ſit tantæ ſtudioſorũ iuuenum paucitatis, mirari deſinet, & mirabitur profectò potius, quî fiat, vt etiam aliqui reperiãtur, qui meliore quodam ſpiritu afflati literarum ſtudia capeſſere, & Muſis ipſis tanquàm ingratis dominis ſeruire non dubitent. Etenim ſi M. Tullius quondã mirabatur quid eſſet, cur in Republica florente, in magna eloquẽtiæ gloria, maximis præmiis propoſitis vel ad opes, vel ad gratiam, vel ad dignitatẽ, tamen nequaquã ſatis multi reperiẽntur, qui hanc arduã, & difficilẽ virtutis, & doctrinæ, viã ingredi vellent: nos in hac ignorãtię dominatione, rerum omnium perturbatione, nullis præmiis propoſitis, nulla gratia, nulla dignitate, mi-

rabimur paucos eſſe, qui his, honeſtis quidem, & liberalibus, ſed tamẽ operoſis, & difficillibus artibus ſtudeant: ex quibus nihil ſibi vel præſidij ad vitam, vel commendationis ad gratiam, vel ſuffragationis ad honorem, vel adiumenti ad fortunam exiſtiment poſſe contingere? Quis in ea republica virtuti ſeruiat, vbi omnia pecuniæ exæquata videat? quis ibi bonarum artium ſit ſtudioſus, vbi nullus bonis artibus locus relinquatur? Vos fortaſſe, auditores, iſtud facitis, cùm paucis aliis, Queis meliore luto finxit præcordia Titan. Quibus ſua ſponte virtus, & doctrina chara eſt: & ad quos, tanquam ad ſaniores Reip. corporis partes, nondum talium corruptelarum contagio peruenit. Difficile verò dictu eſt, quàm ſit illorum infinita multitudo, quos
hæc

hæc ſola ratio à Muſarum cultura reiiciat, quòd ingratæ, & ſteriles ſuis cultoribus eſſe exiſtimentur. Quid? ſi quędam eſſet Reſpublica ita conſtituta, vt ita quiſque plurimùm potentiæ, & authoritatis haberet, vt quiſque eſſet ingenio, & voluntate deterrimus: vbi præmia maleficiis, pœnæ virtutibus proponerentur: quis mirari deberet ſi in ea Republica Virtus ſorderet, Prudentia ſileret, honeſtæ & liberales artes iacerent: & in earum locum Stultitia, Ignorantia, Vitia denique omnia ſupponerentur? Atqui ſic hodie in Gallia viuitur, vt malis, vt indoctis, vt ſtultis eſſe expediat. Etenim ad vos ipſos refero auditores: & ne tacitæ veſtræ cogitationes huic, vt videtur, tam incredibili dicto, prius quàm meas rationes acceperint, fidem derogent, à vobis peto, vt ea,

quæ quotidiana experientia comperta ſunt, apud animos veſtros reputetis. Si quis ſit in vna familia, in quem prolixior fuerit naturæ benignitas, quíque ipſe ad eas animi dotes à natura acceptas bonarum artium ſubſidia, tanquam nouum virtutis, & induſtriæ comeatũ adiunxerit, quò ad omnem ciuilis vitæ partem inſtructior eſſet, nõne ille forẽſi militiæ & agendarũ cauſarum laborioſo muneri deſtinabitur? nonne ſuæ virtuti & induſtriæ relinquetur, vt eò honoris, & dignitatis prouehatur, (non quidem aſſequendis honoribus, ſed pecuniis congerendis, qui ſolus honos hoc tempore in Gallia eſt) quò illum ſua virtus, & induſtria proſequi potuerit? At contrà ſi quis ſit aut à natura malè informatus, aut à ſua voluntate malè feriatus, ignauia, ſtultitia,

vecordia insignis, nec sibi nec alteri vtilis, ad nullam non modò ciuilis ac politicæ, sed nec priuatæ quidem ac domesticæ vitæ partem idoneus, ei potissimùm à suis parentibus vel iudiciarium munus, vel alterius militiæ præfectura quæretur. Vt quemadmodum claudus in equum ascendit, ne sua claudicatio deformis appareat, & vt pedũ tarditas equi celeritate corrigatur: sic iste in celsiorem dignitatis sedẽ conscendat, non modò vt suę infantiæ, stultitiæ, inertiæ, cultu ipso externo, & splẽdida honoris specie velificetur: sed etiam vt quod decus, & ornamentum sua virtute obtinere non potest, id paternæ pecuniæ beneficio consequatur. Nec verò est quòd quisquam me aliqua cupiditate inductum ista liberiùs dicere putet, quàm veriùs: aut istas

contumeliæ potiùs quàm doloris & querelæ voces arbitretur. Ita enim mihi salua republica literaria vobiscum simul frui liceat (auditores) vt nihil dico, in quo ego aut in amplissimum ordinem, aut priuatim in quemquam conuitii aculeũ fuerim meditatus. imò verò grauissimorum, & doctissimorum virorum vicem doleo: qui profectò illas totius ordinis labes, & quasi cõmunis dignitatis maculas sine acerbissimo doloris sensu in suis tribunalibus videre non possunt. Quorũ virtus eò splendidior est, & præstantior, quòd vt Cato quondam in fæce Romuli videbatur inter aliorũ sordes splendidiore honore clarescere: sic hi suam prudentiam, & integritatem nec eius, quæ modò increbruit ignorationis tenebris obscurari, nec sordibus obsolescere pa-

tiũtur Quòd si quis aut ea quæ à me dicta sunt, aut quæ iam dicenda sunt ad suam aliquã contumeliã trahere volet, nõ tam ille à nostra, oratione indicabitur, quàm à sua ipsius conscientia iudicabitur: itaque priùs seipsum oderit, quàm mihi succenseat necesse est. Ea dico quæ quotidie fiunt, quæ patent, quæ nota sunt omnibus. Itaque dicam libenter, nec cuiusquam abditos sensus, & tacitas cogitationes extimescam, Quàm multos hodie in tribunalibus iudices, & consiliarios sedere putatis, qui nunquam sedissent, nisi ignaui, inertes, stupidi, & hebetes fuissent? Quàm multos, qui cùm inter doctos, & industrios viros locum aliquem assequi non possent, istuc potissimùm pecuniæ gradibus ascenderunt? non electi ex omnibus, qui de republica plurimùm

meriti essent, sed relicti ex omnibus, qui nihil ne de priuata quidem re mereri posse viderentur. Qui id totum quod honorati sunt, siquidem sunt, non virtuti, non humanitati, non bonis artibus: sed inertiæ, sed ignorantiæ, sed cæcitati, sed perditis rationibus acceptum referre debeant. Præpostero mehercule, & nouo modo: vt qui in inferioribus subselliis consistere non possit, is in tribunalibus sedeat. Vt eò per summam ignorantiam, & ignauiam ascendat, quò summa doctrina, & industria, nisi priùs sordibus contaminata, aspirare non posset. Vt de æquo, & bono pro tribunali cognoscat, qui in plano nihil vnquã æqui boni cognouit, Vt in alienis causis iudicium ferat, qui si aliquid pudoris, & modestię haberet, ipse de se aliorum iudicia deberet horres-

cere. Vt is præsidi consilium suggerat, qui quòd sibi,& suis studiis malè consuluit, ideò consiliarius est effectus. Denique vt is potissimùm iustitiam dispenset; qui, si aliqua pars iustitiæ vigeret, ipse ab omni eiusmodi procuratione longè remotus, inter postremos homines iners, & ignauus in suę ignorationis tenebris perpetuò iacere cogeretur. Hæc est, hæc est, (auditores) nostri fundi calamitas: cùm parentes suos filios pecuniæ seruire magis cupiunt, quàm sterilibus, vt putant, & inutilibus artibus implicari. Cùm vident post multos, & magnos sumptus, nihil adhuc se effecisse, quo sui filii honoratiores esse possint: perpetuóque illis humi esse reptandum, nisi fortioribus pecuniæ machinis sursum attollerentur. Quid? ipsi iuuentuti hac publicorum munerum, & prę-

fecturarū nundinatione quanta ad inertiam, & nequitiam feneſtra aperiri vobis videtur? Cùm ita apud ſeſe reputant, parentes ſuos iam tū in animo ſuo ratiocinari, & ita ad vtrumque ſe comparare: Meus filius ſi rectè ſtuduerit, cauſarum patronus eſſe poterit: ſi in ſtudiis nihil egerit, illi conſiliarij militia emetur. Eſt, Diis gratia, vnde hæc fiant: & illa lacuna rei familiaris poſteà ex ipſius honoris fructu facilè explebitur. Hæc cùm ita ſe habere vnuſquiſque facilè intelligat, quis eſt qui non malit per luxum, & laſciuiam, & inertiam tempus terendo parentem neceſſitate aſtringere, vt ſeipsū conſiliarium faciat: quàm egregiè literis operam nauando, ſibi ipſi in poſterùm quaſi legem perpetui laboris, induſtriæque imponere? Nam vt quis ſatis peritè, & cōmo-
dè patroni

de patroni partes obire poſſit, doctrina & eruditione opus eſt: vt quis conſiliarij munere defungatur, nil factu facilius. Satis eſt Lutetiæ, & in aliis vrbibus aliquandiu ſtudiorũ cauſa fuiſſe: legitimum gerendis honoribus ætatis tempus attigiſſe: quæſtoribus regiis præſcriptam pecuniæ ſummam numeraſſe: aliquã legum & paragraphorum farraginem ſibi ab aliquo peritiore concinnatam coram paternis amicis ad eam rem iam dedita opera comparatis vel ex ſcripto, vel memoriter recitaſſe: paucis interrogatiunculis non admodum captioſis, & ſubtilibus rectè, vel perperam reſpondiſſe. Hæc qui facere potuerit, iam ſeſquipedali vocabulo Dominus Conſiliarius appellabitur. iam ſplẽdido honoris titulo ſeſe magnificè circunſpiciet. Et qui paulò antè præ

ſuæ ignorationis conſcientia in do-
ctorum hominum conuentu ne
mutire quidem auſus fuiſſet, iam
arroganti ſupercilio cæteros tanquã
infra ſe poſitos deſpiciet, nec præ
ſe quenquam hominem ducet: et
ſi minùs cum ratione, & veritate, at
ſaltem cum faſtu, & authoritate lo-
quetur. Quotieſcunque verò mu-
neris ſui ratio tulerit, vt litibus ex
tempore diiudicandis in iudicum
conſilio ſedeat: ſi rem ipſam, qua
de agitur, diſceptantibus patronis
intelligentia ſua comprehendere nõ
potuerit: etiam facilis, & expedita
ratio eſt, qua ratione poſſit ex illo
ſuæ ignorationis cœno emergere.
Satis eſt enim peritiorum iudicio
comitem ſuam ſententiam adiun-
xiſſe: et ſolemni inter illos formula
dixiſſe AD IDEM. vt talium con-
ſiliariorum non ad controuerſum

ius dirimendũ prudentia,ſed ad ſententiarũ numerũ explendũ infantia quæſita videatur. Itaque quemadmodum Plautus quoſdam famoſos homines trium literarum homines appellauit: ſic nos eiuſmodi ineptos, & ignaros, qui nihil ſciunt dicere niſi AD IDEM, cur non trium ſyllabarum Conſiliarios appellare iure poſſimus? ô ſordidum, & contumelioſum honorem iis, quos ad iudicandum, & ad Remp. regendam non ſua virtus, aut dignitas euexit, ſed paternæ pecuniæ magnitudo prouexit! ô Rempublicam malè cõſtitutam, in qua qui primas tenent deuiis tramitibus, & iacturis rei familiaris ad laudem, & amplitudinẽ nõ virtutis via graſſantur. M. Marcellus is, qui primus Annibalem in Italia docuit poſſe non modò mora frangi, ſed etiam militari

robore ſuperari, de hoſtilibus manubijs templum Romæ Honori conſecrauit: in ipſius autem templi veſtibulo Virtutem dedicauit: vt ea ratione oſtenderet, hominibus ad honorem per virtutis ianuam aditū patere. Si igitur nobis ad honorem tendentibus obſeratę eſſent illæ virtutis fores: in ipſius autē templi receſſu poſticum eſſet, quod à quibuſdam barbaris latronibus obſeſſum teneretur, qui neminem, niſi priùs data ingenti pecunia, in templum intromitterent: quis noſtrum inutili labore per arduum illum virtutis tramitem conſcenderet; vt cùm eò perueniſſet ſudans, atque anhelus, fores pultaret, ad valuas ſederet, donec vel fame cogente, vel nocte adueniente, vel cœli inclementia ſæuiente, à Virtute recedere, & domū ſuam ſeſe recipere ridiculus cogere-

tur? Nonne huiusce Gallici regni simillima est ratio? Templum illud honoris sunt dignitates, sunt præfecturæ, sunt ea omnia, quæ in benè constituta Republica studiosorũ hominum virtutis, & industriæ premia solent esse. Ad illud augustissimum templum ingeniosis, & studiosis hominibus maiorum nostrorum temporibus per virtutem iter maximè patuit: nunc hac fatali tẽporũ calamitate Virtutis fores clausæ sunt: posticum autem illud ab immanibus prædonibus obsideri videmus: ab iis inquam canibus, qui principis soliũ lambunt; à quibus non virtutis non doctrinæ, non vllius honoris, sed explendæ famis, sed prædæ, & sanguinis ratio habeatur. Quorum tamen auaritia in rapinis eò tolerabilior est, quòd neminem expilant, nisi qui se vltrò

illorum cruentis manibus obtulerit. Honoris adipiſcendi gratia, inquis, cuius ſemper optimus quiſque maximè fuit ſtudioſus. Quaſi verò in eiuſmodi turpitudine quidquam poſſit honorificum eſſe: aut illud Honoris templum dici debeat, cuius numen ſola pecunia placetur: cuius Sacerdotes, & Myſtagogi ſint fures: ad quod ex omni parte Virtuti aditus præcluſus ſit: quod denique nō niſi ſordidæ nūdinationis ianua reſeretur. Ante Honorē ſudorem Dij poſuerunt, inquit Heſiodus, at noſtri Dij ante Honorē ſolam pecuniā poſuiſſe videntur. Vt nihil ſit hoc tempore quod pecunia nō faciat, nihil quod ſine pecuniæ interuentu, & miniſterio fieri poſſit. Sic auro Philippus munitiſſimas vrbes ſuperauit. Sic Iuppiter in aurū verſus Danaę pudi-

citiã expugnauit. Sic deniq; Æneas aurei rami beneficio fretus etiã vſq; ad Elyſios campos penetrauit.

Vt mihi hoc loco cum Horatio exclamare libeat,

Scilicet vxorẽ cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus, & formam

Quod ſi noſtris temporibus, ô Horati, vixiſſes, etiam dixiſſes, & honorem, & dignitatem,

Regina pecunia donat.

Et certè iſtud tibi contra legem, & rationem carminis dicere liceret, quod apud nos contra legem rectæ rationis feciſſe laudatur. Quorſum igitur hæc tam multa? Vt intelligatis, auditores, id quod mihi ab initio propoſitum fuit, nemini mirum eſſe debere, ſi nunc multò minor, quàm anteà bonis temporibus ciuiũ numerus in Muſarũ, & Apollinis vrbe cenſeatur. Eſt enim hîc in

noſtris vmbraculis veri & germani, non ficti & adumbrati Honoris ſanctiſſimũ templum: hîc virtutis ſeminarium: hîc bonarum artium emporiũ: hîc denique omnis prudentiæ, officij, humanitatis auſpicatiſſimæ nundinæ. Quarum rerũ omnium non egent illæ pecudes, quibus eſt pellis aurea, cor plumbeum, os ferreũ. Quæ ad ſuos illos præpoſteros honores ſola pecunia commendantur: quibus ſola ſtultitia ſuffragatur: quarum denique laruatæ dignitatis ſpecies ſola impudentia ſuſtinetur. Requiretur fortaſſe nũc, hæc omnia cùm ita ſint, ecquę tandem ſpes in poſterum fortunis communibus oboriatur? Mihi verò ſi ratiocinatione, & coniecturis vti liberet, non alia coniectura potior eſſet: quàm quòd omnia non modò in re literaria, ſed etiam in quauis

quauis Reip. parte ita malè ſeſe habeāt; vt non aliqua ex parte recreari, ſed prorſus in integrum reſtitui debere videantur. Non ſecus ac ſi quis domum videret, cuius recta nutarēt, parietes rimis fatiſcerent, fūdamenta diſſoluerentur, omnia præſentem ruinam minitarentur, nihil dubitationis eſſet, quin illam aut de integro refici, aut funditus corruere eſſet neceſſe. Sic nos in hoc tā præclarè fundato, tam firmis Pietatis & Iuſtitiæ colūnis nixo, tam ſplendidè extructo Galliæ regno, cùm partim ciuilibus diſcordiis, partim fatali humanarum rerum neceſſitate omnia iam fracta ſint, & conquaſſata, poſſumúſne dubitare, quin omnia in integrum reſtaurari debeant: cùm id non rationem exigere, ſed neceſſitatem cogere videamus? Atqui res ipſa iam non ſpei, & cō-

iecturarũ odore percipitur animis: ſed oculis ipſis tenetur, ac manibus. Eam ob cauſam generales totius Galliæ conuentus indicti. Eam ob cauſam accerſitus à Chriſtianiſſimo Rege poſt hominum memoriã fortiſſimus Princeps. Eam ob cauſam mali ſuaſores repudiati: qui cùm Chriſtianiſſimi Regis bonitate, & clementia ad prædam, & ad cupiditates ſuas explendas abuterentur, in eius auribus perniciosiſſimorum ſuorum ſermonũ domicilium collocarant: Qui ſuis fictis terroribus, & inſidioſis criminationibus ita eius animum occuparant, vt afflictæ, & gementis, & ad eius miſericordiã ſupplices manus tendentis Patriæ humiles preces, & iuſtas querelas exaudire non poſſet. Quòd ſi omnes omnium generum, omnium ordinum homines de hac rerum in

Gallia conuersione omnia sibi fausta, ac fœlicia pollicentur: cur non etiam nos Musarũ alumni animos erigere, spes attollere, futuræ fœlicitatis sortem officiosis gratulationibus præuenire debeamus? Mihi credite, non priùs palam factũ erit in augustissimo illo, & auspicatissimo totiùs Galliæ Senatu Virtuti suum locum esse redditum: Pecuniam tanquã sacrilegij damnatam ab honorum & dignitatum sanctissimo limine facessere iussam: cùm omnia passim studiosorum hominũ frequentia feruere videbitis. Hoc grato nuntio, tanquam melioris spei sonante classico, ex omnibus Galliæ oris, ac sedibus excitata iuuẽtus certatim in Musarum militiam nomina profitebitur: & veri honoris, ac dignitatis stipendiis sub Virtutis, & Industriæ signis militabit.

Vos autẽ (Adoleſcentes) quod ſola virtutis pulchritudine illecti veſtra ſponte iam antea faciebatis, nũc ipſius virtutis voce ad honorem vocati iſtud idem multò cupidiùs, & ardentiùs facietis. Non vos Muſarũ faſtidium ad ignauiam abducet: nõ iniqua ſtudiorum conditio à labore deducet. Quòd ſi qui ſunt, quibus adhuc ſpes honeſtatis, ſubſidium virtutis, ornamentum dignitatis in paterna pecunia repoſitum ſit, vehementer cenſeo deſiſtant illis ſordidis rationibus niti: & aliis quibuſdam artibus id quod animo cõcupierunt, aſſequi ſe poſſe confidãt. Hac enim republica, quæ mox futura eſt, non iam amplius, vt antea, ineptis, & ſtultis hominibus dignitas pecunia, ſordibus honos, iniuſtis & iniquis artibus iuſti & æqui præfectura quæretur. Non ambitio ad

gratiam, nõ fortuna ad gloriam, non sortis humilitas ad ludibrium valebit. nihil aliud homines quàm virtus, quàm integritas, quàm innocentia ad publicorum munerum, & dignitatum splendorem promouebit. Quæ cùm ita sint (studiosi Adolescentes) si vos aliqua ratio honoris sollicitat: si dignitatis amor & cupiditas tangit: si natiuæ virtutis estis memores: si vestri non estis obliti: vos nunc ad fruēda vestri seculi cōmoda comparate. in hoc doctrinæ stadio vos tales ostendite, vt hæc, quæ modò intonabit virtutis buccina cæteros quidem dormiētes excitasse, vos verò currētes incitasse videatur. Denique pro huiusce meæ amantissimæ cohortationis corollario, hãc sacratissimi Imperatoris vocem accipite, qua ille prius suę iuuētutis ad studia animos excitauit: nũc

candē Rex Christianissimus vobis omnibus, & vestri similibus per totam Galliam inclamare videtur:

Vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto posse etiam nostram Remp. in partibus eius vobis credendis gubernari.

Dixi.



